



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1782**

**VD18 90119266**

§. 103. B. Pius V. Pontifex, B. Andreas Avellinus Congr. Clericorum Reg. Theatinorum, B. Felix de Cantalitio & Catharina de Bononia in Sanctorum Album relati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

Octobris affigi iussit. Dux vero ejus-<sup>Sæc. XVII.</sup>  
 que Senatus aliud edictum opposuere, <sup>A. C. 1712.</sup>  
 quo diploma omnino esse nullum de-  
 clarabant, eoquod nec a Notariis pu-  
 blicis, nec ab horum Cancellaria sub-  
 scriptum fuisset: Re comperta Pontifex  
 Senatus edictum esse omnino irritum,  
 & P. Granellum utpote excommunica-  
 tum ab omnibus esse vitandum die ter-  
 tia Decembris pronuntiavit, Ducem  
 vero & Reipublicæ Governatores gra-  
 viter redarguit, quod de actis per Ec-  
 clesiasticam auctoritatem promulgatis,  
 deque eorum valore judicium ferre, Ec-  
 clesiam, quæ libera est, ancillam fa-  
 cere, cum Rege Ozia Sacris rebus ma-  
 nus profanas injicere contra leges Ca-  
 nonicas & Imperatorias, & Concilio-  
 rum decreta præsumperint. Denique  
 eos admonuit, ut celeri perperam ge-  
 storum revocatione suæ conscientiæ  
 consulere, præfatique edicti memo-  
 riam e publicis suis tabulis omnino ex-  
 pungi juberent.

## §. CIII.

*B. Pius V. Pontifex, & S. Andreas  
 Avellinus Theatinorum Clericus,  
 alique in Sanctorum Al-  
 bum relati.*

*Hist. Eccles. Tom. LXVIII. Ff Ma-*

Sæc. XVIII.  
A. C. 1712.

**M**ajoris consolationis, digniorisque Zeli argumentum existit quorundam Sanctorum Apotheosis; cum enim jam ab anno præteriti sæculi vigesimo primo in Pii V. olim summi Pontificis gesta, virtutes & prodigia omni sedulitate inquisitum esset, ac demum, ut illius ævi mos erat, tres antiquiores Rotæ Romanæ Judices, lato hac de re judicio, documentorum auctoritatem comprobassent, & virtutum præstantiam ad gradum heroicum exegisse, non miracula communem naturæ ulim longe excedentia fuisse patrata docuissent, horum judicium Sacra Rituum Congregatio rursus maturo subiecit examini, cunctaque hucusque actitata, præcipue instantaneam cujusdam mulieris sanationem, & duas ejusdem S. Imagines a vehementissimo incendio præservatas tanquam miracula, quæ subsecuta sunt, comprobavit, reliquorum miraculorum examine ad aliud tempus remisso, quo instaurato rursus alia duo miracula, scilicet victoria navalis præcognita, & farina mire multiplicata ab eadem Congregatione, & Clemente X. Pontifice fuerunt approbata, & Pius V. Anno 1672. Beatorum Albo adscriptus est. Eadem causa rursus agitata cunctisque diligenter expensis, aliisque duobus miraculis com-

muni assensu comprobatis in solemnibus Sæc. XVIII.  
 Purpuratorum confessu deliberatum A. C. 1712.  
 est, an tuto ad solemnem B. Pii Ca-  
 nonisationem deveniri possit? cunctis  
 autem unanimi suffragio assentienti-  
 bus, ante biennium die quarta Au-  
 gusti Sabaudus Duce ejus Canonisatio-  
 nem impensius efflagitante, Pontifex,  
 hunc Beatum inter Sanctos esse refe-  
 rendum censuit, ac diem Dominicam  
 SS. Trinitati Sacram pro solemnibus Cano-  
 nisatione indixit, hujus autem diploma  
 die vigesima secunda Maij edidit, ac  
 demum anno sequenti die decima ter-  
 tia Januarii omnibus aliquam Ordinis  
 S. Dominici Ecclesiam die quinta Maij  
 visitantibus perpetuam concessit indul-  
 gentiam. Eadem die celebrata est Ro-  
 mæ apotheosis S. Andreæ Avellini ex  
 Congregatione Clericorum Regularium  
 Theatinorum, qui decimo septimo ab  
 ejus obitu anno jamjam solemnibus ritu ab  
 Urbano Papa VIII. inter Beatos ad-  
 scriptus, comprobata virtutum præ-  
 stantia, & septem miraculorum veri-  
 tate, aliisque septem postea approbatis,  
 Sanctorum Confessorum Catalogo in-  
 fertus est, ejus festo ad diem decimam  
 Novembris remisso. Eadem die ac  
 solemnitate Pontifex B. Felicem de Cau-  
 talitio & Catharinam de Bononia San-  
 ctorum cultu palam honorabat.

Ff 2.

§. CIV.